

Q. 266, 15

176
901



RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS

ad
supremum officium
Maximè Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo.

DN.
FRIDERICO RAPPOLTO,
SS. Theol. D. & Professori ce-

leberrimo,
Canonico Cizensi, Alumnorum Electoralium Ephoro, Majoris
Principum Collegii Collegiato, & Nationis Misni-
cæ Seniori,

Viro de hac Academia & Orthodoxa Ecclesia benè
meritissimo,

horâ III. eâ, quâ fas, pompâ persolvendum

PROCERES AC CIVES ACADEMICOS
quàm frequentissimos adesse cupit.

X2056904





IN turbulento hoc & inquieto rerum humanarum, & u-
ti universæ Europæ à Martio furore concussæ, ita no-
stræ etiam Universitatis statu placidissimum, æqvissi-
mum, sanctissimumque illud Caput FRIDERICUS
RAPPOLTUS nobis eripitur. Quo tibi sine subruto
qvanta non Academia modò, sed & Ecclesiæ Orthodo-
xæ immineat clades, vel tacentibus nobis nemo pru-
dentiorum non intelligit. Id certè verendum oppidò, ne cæteris pœnis,
qvæ seculi excipiunt impietatem, accensendum etiam sit, qvòd Theolo-
gum hunc & doctrinâ & vitâ longè gravissimum nostræ studiorum com-
munitati DEUS surripuit. Sed nolumus inauspicati qvid sub anni hujus
auspiciu ominari; qvin gratulamur potius RAPPOLTO nostro, cui
illa * μέγιστα μύστα, toties sperata hæctenus ac suspirata, ex voto ob-
tigit; summumq; Pacis principem veneramur pariter, ut, erepto hoc
IRENÆO, Irenen nobis suam qvàm clementissimè largiatur. Intereà
dum exangvi corpori, in qvo tam pia, tam candida, tamq; erudita ani-
ma hospitata est, justis debitiq; honores sunt peragendi, Rappoltianam,
vitam seqvendam imitandamq; ceu imaginem ad posteros etiam dura-
turam (utinam stylo etiam Rappoltiano, h. e. tersissimo gravissimoqve!)
proponemus. Vigésimus & sextus Januarii dies in anno seculi hujus qvinto
ac decimo agebatur, qvando nasci contigit clarissimum & futuris an-
nis admirabilem hunc Virum, qvi Patriam agnoscebat oppidum Rei-
chenbachii in terra Nariscorum, qvæ Advocatorum Æneæ Sylvio dicta
est, situm, idqve non minùs mercimonii laude, qvàm illustris Herois ac
Domini sui METSCHII gloriâ latè tùm fulgens; parentes autem hone-
stissimos, HEINRICUM RAPPOLTUM, Medicum & Pharmacopœum,
istius oppidi, sed postea Prætorem Pegaviensem, & REGINAM LIP-
POLDIAM ex Senatore Cizensi natam, qvàm viduam incendio Pega-
viensi ad incitas redactam per XII. annos ad obitum usq; sustentavit,
octogenariamq; amplissimo funere hîc Lipsiæ extulit, cujus maternis
precibus ac benedictione se plurimùm adjutum gratissimus prædicabat.
Floruerat jam olim literarum pariter atq; armorum gloriâ stirps Rap-
poltiana, & dum in Bohemia vera adhuc Evangelii lux fulgeret, jam per
AUGUSTINUM RAPPOLTUM, Pastorem Oberleutersdorffensem in
tractu Brixensi, Avum RAPPOLTI nostri, radios suos spargebat, imò
sub

* μέγιστα μύστα. Has voculas ex epist. ad Heb. 13. v. 14. Philothecis Studioforum
inscripsit hæctenus ὁ μακαρίτης.

sub Reformationis Lutheranae initium jam in WOLFGANGO * RAP-
POLTO latebat, qui Ellenboci sanam religionem a Luthero reductam,
hominum animis instillabat, antea & ipse Pontificiis tenebris immerfus,
cum Bononiae studia coleret, Romae dehinc sub Cardinali Cajetano per
quadriennium sacras literas doceret. Divus etiam Maximilianus I.
ob res praecclare a FRIDERICO RAPPOLTO quodam in bello gestas
hujus familiae, gratiosissime concessis insignibus, faverat: sed calamitate
temporum & bellorum per Germaniam obfuscatus vobammodo il-
lius erat splendor, quem, dum novam lucem novus hic FRIDERICUS,
non ut ille prior belli fama, sed studiorum claritudine intulit, denuo
excitavit. Fundamenta artium & pietatis in Schola patria jecit, ma-
gistro optimo JOHANNES KEGELERO potissimum ad XII. usq; an-
num. Post cum parentibus optimis sedem fixam alibi quaerentibus
Pegaviam transiit, ibiq; per tres quartas anni commoratus sub discipli-
na M. JOH. RICHTERI Scholae Rectoris, hinc obtento diplomate Ele-
ctorali Portense Gymnasium ingressus est, ibiq; sexennium integrum,
Praeceptoribus inprimis D. KUNADO & KHUNIO, quorum informa-
tione se plurimum profecisse semper fassus est, absolvit. Testimonio
honestissimo inde dimissus in Academiam hanc nostram anno aetatis
XIX, seculi XXXIV. se contulit, & statim doctrinae, quam deinceps in
aliis exerceret, rudimenta quasi in praestantissimi Theologi MAURITII
BURCHARTI, liberis fecit. Anno post de stipendio, quod studia pro-
moveret, divina Benignitas & Electoralis Clementia ipsi prospexit, quod
in legitimos usus ab ipso conversum sequentis anni dignitas Magisteria-
lis in eum collata luculenter ostendit. Hanc adeptus cum esset, tem-
pus omne, ut nominis & tituli sui mensuram impleret, literis dedit;
cum primis vero in Philologia & humaniori literatura, quam GELLIA-
NIS suis admirabilem fecit postidea, multum studii ac laboris posuit.
Nam a prima statim aetate bonorum Auctorum lectioni deditus, non su-
perficiario studio de singulis partem attigit, sed omne liberalium artium
& doctrinae genus complexus ad Veterum, id est, Optimam ac perfectis-
simam rationem studia sua efformavit. Horum studiorum doctores
habuit, qui ista aetate in hac urbe florebant, excellentissimos Viros PHI-
LIPPUM MULLERUM Mathematicae, ANDREAM CORVINUM Ora-
toriae, HIERONYMUM RECKLEBENIUM Dialecticae fidelissimos ma-
gistros. In Theologia autem, ad quam maximam animi contentione,
jam juvenis adspirabat, JOHANNEM HÖPNERUM, CHRISTIANUM
LAN-

* V. Eine erzwungene Antwort Wolfgang Rappolts auf die ungelahrte Vorlegung des
D. Zach Administrators zu Praga der Ellbogenschon Ordnung Anno 1525.

LANGIUM, & MAURITIUM BURCHARTUM, fulgidissima nunc cœ-
li, tum temporis Academiae hujus & Ecclesiae sidera seqvebatur. Sed
maximè in hoc sacro studiorum cursu incomparabilis HEINRICUS
HÖPFNERUS fausta, & à qua nunquam deflecteret, ipsi erat Pharos;
hunc amabat unicè, hunc sectabatur, ab hoc amari etiam laborabat, etsi
magnoperè laborandum non erat, quippe qui erectam juvenis ad præ-
clara studia indolem ab exercitiis Academicis, publicis Lectionibus,
Disputationibus & Orationibus, quibus Lauream in Theologia primam
Anno XL. seculi obtinuerat, agnoscebat & complectebatur. Et jam a-
lios, quæ didicerat, docere gestiebat, & ad studia altiora juvanda, & Dia-
lecticam, Rhetoricam, naturalem etiam Theologiam, quam postea sub
auspiciis primæ in Theologia laureæ, non minùs quam Judæ Episto-
lam Catholicam, cessantibus operis Theologorum ordinariis, sub Ca-
niculæ æstus exposuit, tradendam à studiosis privatus Doctor posceba-
tur. Hauserat enim accuratè, quæ infunderet aliis, & methodo uteba-
tur discentium ingeniis consentaneâ, perspicuæque voci tarditatem ac
moderationem addebat, quæ verba mellis instar stillaret magis, quàm
in modum torrentis funderet, & quod in Philosopho Seneca requiritur,
compositè, non concitatè circulatorum instar proferret. Quam dicen-
di gravitatem non minùs quam cætera eruditionis instrumenta cœti-
bus eximiorum juvenum bonas artes strenuè æmulantium, in ipso stu-
diorum suorum cursu dexterrimè approbavit. Vivit hodiernum post
HORNIGIUM, LANGIUM, BOSIUM, PANZERUM & STEGERUM
alterum jamdudum cœlo receptos (nam & hi de RAPPOLTI institu-
tione per omnem vitam, quamdiu licebat, sibi gratulabantur) Acade-
miæ Wittebergensis, & universæ, quæ patet, Juris scientiæ Clarissimum,
fidus CASPAR ZIEGLERUS, qui vastæ suæ ac inusitatae Doctrinæ pri-
mum sibi autorem contigisse RAPPOLTUM magnificè prædicat; vivit
ADRIANUS STEGERUS, Reipublicæ urbanæ ingens Decus, qui quic-
quid dignationis consecutus est, fidissimæ institutioni hujus debere se
agnoscit; vivunt denique & FRATRES CARPZOVII, qui & ipsi maxi-
mam eruditionis, quæ singularis in illis est, partem dexterrimæ infor-
mationi Rappoltianæ acceptam ferunt. Nec minùs ipse gratulabatur
sibi tam pulchrè cessisse hanc operam suam, tamque excellentibus ingenüs
servire eâ ac prodesse sibi licuisse. Quos itendidem Gloriam post fu-
nera quoque suam solebat appellare. Ob raram illam docendi dexteri-
tatem ad Con-Rectoris munus in Thomana hujus Urbis Schola obeun-
dum ab amplissimo Senatu Anno seculi XLII. vocabatur; quo suscepto

non

non tristi fronte & Catoniano vultu horridus, sed placido, sed comitate
 & gratiâ oris, informandiq; dexteritate puerorum sibi animos concilia-
 bat, studiaq; illorum incredibili juvabat successu. Nec alium Acade-
 miæ se stitit, quam & ipsam doctrina suâ animabat A. XLIV. in Faculta-
 tem Philosophicam allectus, postquam ei idoneum se Assessorem dua-
 bus de Amore Disputationibus approbasset, postea etiam An. LI. Pro-
 fessor constitutus. Nec abripi Scholæ suæ se patiebatur, aut istam quasi
 doctrinæ & eruditionis suæ dignitate inferiorem censebat Professioni
 Dialectices admotus; quin imò non hanc saltem Con-Rectoris in Scho-
 la Thomana provinciam retinebat, sed & alteram An. LXIII. Rectoris
 in Nicolaitana spartam sibi imponi æquo animo ferebat. Scholasticum
 quippe agere, non dedecori, sed laudi sibi ducebat, nihil pensi habens si-
 nisteritatem temporum, quibus, qui juventutem in Scholis moribus li-
 terisq; imbuunt, negliguntur passim, imò scenarum ostentatione tradu-
 cuntur. Nec inficiari licet, in his omnibus divinam Providentiam rebus
 illius fuisse moderatam. In Scholasticis enim functionibus singularem
 prorsus divini Numinis favorē expertus est, dum Juvenis statim à Pega-
 viensibus, Vir factus ab Hallensibus, qui GVEINZIO sufficeretur, ad
 Scholasticum regimen expetitus, anno etiam LXI. ab Hamburgensibus,
 ut literarum, & Scholæ curam apud eos reciperet, fuit sollicitatus. Sed
 hæc Lipsia, quæ studiorum alumna ipsi fuerat, sedes quoq; ac domicilium
 eorum permanebat. Nec ingrata fuit in Civem suum egregium Urbs
 inclyta. Nam anno seculi XLVII. florentissimam & formæ casti-
 tatisque laude splendidissimam MARIAM ELISABETHAM,
 PAULI FRANCKENSTEINII Pratoris Urbani integerrimi
 prudentissimiq; filiam, dulce laborum levamen & meritorum præ-
 mium in matrimonium hinc accepit, è quo liberos suscepit XI. quorum
 tres FRIDERICUM, JOH. FRIDERICUM & MARIAM ELI-
 SABETHAM præmaturo funere, ANNAM DOROTHEAM, Viri pl. re-
 verendi & excellentiss. L. JOACHIMI FELLERI, Poet. P.P. Uxorem
 hoc ipso anno, post binam sobolem CHRISTIANUM FRIDERICUM
 & JOACHIMUM FRIDERICUM in tertio partu extinctam, ad æterna
 illa tabernacula in cælo nobis reposita, præmisit; reliquos relinquit
 superstites, eosq; florentissimos paternarum maternasq; virtu-
 tum hæredes. Ac REGINA quidem ELISABETHA Viro max. rev. am-
 plissimoq; Dn. JOH. CHRISTOPHORO NICOLAI, SS. Theol. Do-
 ctori, & Professore antea Theologiæ in hac Alma extraordinario, nunc
 sacrorum Illeburgensiu Antisti faustissimo elocata est matrimonio, ex

qua & tres nepotulos, JOH. FRIDERICUM, JOH. CHRISTIANUM,
& JOH. CHRISTOPHORUM, duasque nepotes REGINAM ELISABETHAM
& JOHANNAM ELISABETHAM lætabundus vidit. PAULUS
HEINRICUS in Academiam Francofurtanam missus non sine præclara
spe expectationeque studio jurium vacat, qui quidem Lipsiæ nunc hæret,
à morituro ac desiderabundo Patre revocatus, SAMUEL FRIDERICUS &
GOTHOFREDUS CHRISTIANUS, domi & in oculis optimorum pa-
rentum bonarum artium lingvarumque fundamenta præstruxere; reli-
quæ autem filiæ MARIA SYBILLA, CATHARINA SOPHIA & JOHAN-
NA MARIA matris integerrimæ sanctissimæque diligentia in admini-
strandis rebus domesticis & virtutum exemplar student exprimere. Cæ-
terum quinque annos in tradenda Philippi Logica exegerat, cum A. LVI.
rebus mortalium eriperetur, qui eruditione & variâ scientiâ, scribendi-
que carminis præstantiâ Academiam hanc ornaverat D. ANDREAS
RIVINUS. Huic qui sufficeretur, neque ordini Professorum, neque
Divo JOHANNI GEORGIO I. dignior visus fuit alius præter RAP-
POLTUM, qui divinam ingenii sui vim jam ante Aulæ probaverat, nec
semel Magistrorum novellorum pileos panegyrico carmine decoraverat.
Admotus ergo huic muneri carminibus gravissimis elegantissimisque,
quorum pars maxima volumine arctata prodiit, Poëtas optimos sic exæ-
qvavit, ut solus censeretur Poëta meruerit, veterumque præterea ac recen-
tiorum vatum opera juventuti magna cum industria explicuit, in præce-
ptis summum magistrum Aristotelem, & hunc secutos Heinsum & Vos-
sium, per exempla Virgilium principem Poëtarum in Epico, Juvenalem
in Satyrico, Horatium in Lyrico, Senecam & Grotium in Dramatico,
Martialem in Epigrammatico scribendi generibus accuratè exponens.
Cujus rei fidem facit vel solus, qui superiori anno lucem aspexit,
in Horatii Sermones & Satyras Commentarius. Nec paucos aut mino-
rum gentium tam varia tamque solida eruditio invenit æstimatores.
RAPPOLTUM enim præter stupendum illum literarum Mæcenatem &
grande Musarum præsidium SECKENDORFFIUM, in Potentissimi Ele-
ctoris Aula illustrem Curia eminentissimæ tum rei literariæ Antisti-
tes, FRISII, TAUBIUS, GERSDORFFIUS, MILTITIIUS insigni favo-
re ac benevolentia complectebantur. Nec aliorum, qui infra sortem,
tantorum virorum existunt, minor de RAPPOLTO fuit existimatio. Un-
de enim quæso tot honores, quos Academia dare potest, largissimè in il-
lum collati, etiam nolentem & tantum non reluctantem, nisi à præclara
de virtutibus ejus opinione? Ad gradus sanè altiores, quorum Licentiati
anno

anno LXIII. Doctoris verò LXVIII. adeptus est, invitus quasi trahebatur, five potius honorum & titulorum Academicorum, ut ipse agebat, torrente quodam abripiebatur. De aliis, quos gessit, honoribus muneribusque, quibus laudabiliter functus est, Decanatu apud Philosophicam Facultatem ter, apud Theologicam semel, Procancellarii Officio in creandis Magistris bis, Præpositi cura in Collegio Majori Principum totidem, in Pagis, quos veteres habet hæc Academia, semel, Ephoria Alumnorum Electoralium ipsi commissa, Canonatu Cizensi collato, Senioratu Nationis credito, & Rectoratu bis præclare gesto, nihil attinet dicere. Versantur enim ob oculos præclara hæc viri merita, nec tam incommo-fermone, quam stylo Rappoltiano exponi illa decet. Attingendi nunc sacri Theologicæ Professionis labores, quos vicarios primum, & extraordinem, Magnifico GEIERO ex Academia hac ad Aulam & conciones Consiliaque sanctiora vocato præstitit, dein post beati REINHARTI obitum suscepit. In hoc munere post Articulos Visitationis, quos extraordinem illustravit, Theologiam Aphoristicam ex Epistola Johannis prima tradidit, inque ea non minus, quam in Disputationibus Theologicis non unis acumen ingenii, doctrinæ sanitatem, judicii limam, singularemque perspicuitatem ostentavit. Utilissimo isthoc labore perfunctus ad Titum & Colossenses scriptas à Paulo Epistolas observationibus longè accuratissimis exornavit, ac nuper admodum secundam Johannis Epistolam eadem, quâ priorem, methodo cœpit exponere. Privatos intra lares post apertas contra Pontificios & Calvinianos scholas Summarium Wilhelmi Lyseri Theologicum discursibus in calamum dictatis elucidavit, nec ita pridem Locum de Statu corruptionis absolvit, ad statum Restaurationis propediem accessurus. Voluit autem Divinum Numen, ut statum Restaurationis non in ænigmate amplius, ac veluti per transennam, sed præsentissime in cœlesti illo Angelorum, beatarumque animarum concilio intueretur, à cruce quippe ad lucem, à totuplici carnificina ad requiem perpetuam, à laboribus ad ferias interminabiles evocatus. Immitissimi certè dolores erant, quibuscum conflictari per annos benè multos necesse habuit hic Theologus. Nam præter podagram, quæ Cocyti filia visa est veteribus, à renum calculo, quem carnificem suum Erasmus nominabat, tum aliàs non semel tum ante triennium maxime mirum quantum fuit excruciat. Exortâ enim ex calculi acredine & vesicæ inflammatione & cruentâ mictione eò usque discriminis tum adducebatur, ut extrema ipsa instare quam proximè viderentur. His malis accessit malum tertium, idque periculosum oppido,

Zed 4981
do, & Senioribus plerisque internecivum, quod Enterocelen Medicorum filii appellant. Respiramenti tamen quippiam subinde ipsi datum, ut munia sua obire eam, quam solebat, fide ac dexteritate posset. Neque enim quicquam in officiorum suorum partibus desiderari patiebatur, quamvis nec lateri semper, nec pedibus usquequaque esset bene. Sed vim omnem & Medicinam & Chirurgiam elidebat subitanea alteratio d. XIV. Decembris in Enterocelen exorta, quam & mortiferam sibi fore sapientissime praesagiebat ipse. Quamvis enim nihil relinqueretur eorum, quae ad dolores mitigandos, ad alvum aperiendam, discutiendamque flatuum intemperiem viderentur facere; cura etiam ad stuporem usque fidelis ac diligens ab Uxore piissima adhiberetur, *αγρυπία* tamen & defectus alimentorum (a quibus ob causam non ignorabilem abstinerebat) tumorque abdominis tympaniticus respirationis officium sufflamminans, spem recuperandae valetudinis omnem suffocabant. Consveta eadem morbi hujusce terminalia, singulari Numinis beneficio, non expertus est Theologus vexatissimus; nec nulla alvi infecuta est apertura; at vires corporis effaeti ab hostibus jam dictis prostratae adeo ac profligatae erant, ut a vita ad mortem transeundum sibi esse facile RAPPOLTUS ipse intelligeret. Qui quidem non hoc demum tempore, sed jam diu antea, tot anteambulonibus praemonitus, sua ultima est meditatus, securoque ac confidenti animo, ecquid statuere de se vitae arbiter vellet, praestolatus. Etenim, uti non multa tantum ac magna scivit, sed & sancte ac Theologicè vixit (quae veri Theologi apud Lutherum descriptio est) ita in mortis quoque meditatione jam dudum toto animo fuit defixus. Maximum autem solatium tam alias, tum in articulo mortis constitutus ex Pace per justificationem sibi comparata hausit, quam & argumentum Concionis funebris esse voluit. Nec defuit illi in ultimo hoc ancipitio Deus ex machina. In pace enim discessit feria III. Natalitia sub meridianam primam hic FRIDERICUS, pacis aeternae jam compositus. Cujus virtutes cum ne os quidem eloquentissimum enunciare, ex merito queat, nos tumultuario hoc scriptionis genere atterere illas haut sustinemus. Rogamus autem Proceres ac Cives Academicos, ut, quando celeberrimi RAPPOLTI funus his ipsis Calendis Januariis est efferendum, id eam, quam fas, frequentiam ad Requiatorium Paulinum hora III. comitentur, Deum opt. max. venerati pariter, ut ultrices irae suae flammam, quas tanti Viri obitus non obscure indicat, clementissime extingvat, Pacemque non Europae tantum universae, sed & Musis nostris postliminio quasi restituat. PP. Lipsiae ipsis Kal. Jan. anni novi M. DC. LXXVII.

Literis, JOHANN-ERICI HAHNII.

Q. 11. 266, 151

RECT ACADEMIÆ LI

ad
supremum officium
Maximè Reverendo, Amplissimo,
DN.

FRIDERICO RA SS. Theol. D. & Pr

leberrimo,
Canonico Cizensi, Alumnorum Electo
Principum Collegii Collegiato, &
cæ Seniori,

Viro de hac Academia & Ortho
meritissimo,
horâ III. eâ, quâ fas, pompâ

PROCERES AC CIVES

quàm frequentissimos a



X2056904

